



**Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera**

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;  
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

**Gregor <I., Papst>**

**Lutetia Parisiorum, 1675**

Super IV. Librum Regum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75090](#)

aliud superna iudicia agebant, nisi ut peccator populus in suo corde caperetur? Quatenus qui perfidiam sequendo deliquerat, sic Prophetarum suorum blandis sermonibus deciperetur, ut jam nec pertimesceret quia deliqueret; & tanto pölt durius raperetur ad pœnam, quanto nunc securius viveret in culpa. Sed ecce jam largiente omnipotente Deo, ab idolorum cultu remotum est genus humanum, veram fidem publicè fatetur, subdi lignis & lapidibus vel cuilibet creature adoratio renuit. Securus ergo jam Prophetam quilibet in fide positus consulit: quia hoc auditurus est, quod audire fidem decet. Fiderent dicam, si ab immunditiis alius atque pravis actibus recessisset, securus esset. Nam Paulus egregius prædicator clamat: *Et avaritia, que est idolorum servitus.* Quisquis enim adhuc avaritiae subjectus est, à cultu idolorum liber non est. Si ergo is, qui avaritiae astibus anhelat, in fide quidem positus esse videtur, sed aliena ambit accipere, honores mundi desiderat, præire cupit, temporalem gloriam concepit, atque de hac eadem gloria Prophetam consulit: *justum valde est, ut ex culpe sua merito à Prophetæ ore prospера audiat.* Quatenus qui verba Dei audire in sacro eloquio noluit ut terrena despiceret, celestia amaret, illud Deo iudice ex Prophetæ sui ore audiat, unde amplius obligatus cadat: dum spe terrena gloriae delectatus palcit, suis desideriis ad ima semper ducatur. Neque enim bonus fuit ille spiritus qui mendax esse appetuit in ore Prophetarum. Unde & præmissum est, quia exercitus cœli stetit à dextris & à sinistris ejus. Deus enim qui incircumscripta est veritas, in illa æterna beatitudine, quæ dextra ejus dicitur, sinistram non habet, quia nihil ibi esse quod displiceat potest: sed quia simul omnia continet, simul cuncta apicit. Ea autem, in qua bonus spiritus & malus vivit, exercitus cœli à dextris, & à sinistris habere describitur, ut per dexteram intelligamus Angelos electos, per sinistram verò spiritus reprobos. Nec movere debet quod exercitus cœli etiam repulsi Angeli vocantur, quia & ipsi quamvis ab æthereo cœlo expulsi sunt, adhuc tamen in æreo cœlo demorantur, sicut Paulus ait: *Contra spiritualia nequitia in cœlestibus.*

Ephes. 5.

Ephes. 6.

*Finis Expositionis tertij Regum.*

## CAPITVL A QVARTI LIBRI REGUM.

- 1 *Quod Helias in cœlo raptus sit.*
- 2 *De muliere vidua, que ne duos filios auferente creditore amitteret, Helisæ Prophetæ dictis obedivit, etc.*
- 3 *De filio Sunamitis, quem puer ab Helisœ missus cum baculo non resuscitat, per semetipsum verò Helisæ veniens, seque super mortuum sternens, atque ad ejus membra se colligens, etc.*
- 4 *Quod Prophetarum filij dum in Iordanem ligna caderent, uni eorum securis ex manubrio in profundum lapsa disparuit, in quo iactatum per Helisæ manubrij lignum, ad eum ferrum redit.*
- 5 *Dies tribulationis, et increpationis, et blasphemie dies hac, in te venerunt filii usque ad partum, et vires non habet parturiens.*
- 6 *Quodcumque reliquum fuerit de domo Iuda mitte radicem deorsum, et faciet fructum sursum.*
- 7 *Item unde supra.*

- A 8 *Dispone domui tua, quia morieris tu, et non vives.*  
 9 *Obsecro, Domine, memento quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto.*  
 10 *Ecce dies veniunt, et auferentur omnia, quæ in domo tua sunt, in Babylonem.*  
 11 *Occidit rex Babylonis filios Sedechia in Reblatha coram eo, oculos quoque Sedechia eruit.*

## INCIPIT EXPOSITIO

### SUPER IV. LIBRUM REGUM.

#### CAPUT I.

*De Helia quod in cœlum raptus sit.*

4. Reg. 1.



U I D est quod Helias in cœlum ra- De ascen-  
ptus dicitur? Nunquidnam eum adhuc sione Do-  
in carne corruptibili positum ad illius minica per  
summæ quietis finum ante resurrec- raptu[m] He-  
tionem ascensionemque Domini cre- lix pre-  
gata.

dimus esse perductum? Sed aliud est cœlum aëreum, Hom. 25, 10  
aliud æthereum. Cœlum quippe aëreum, terra est Euang.  
proximum. Unde & aves cœli dicimus, quia eas vo- circa med.

C apitolare in aëre videmus. In cœlum quippe aëreum Helias sublevatus est, ut in secretam quandam terræ regionem repente duceretur, ubi in magna iam carnis & spiritus quiete viveret, quoniam ad finem mundi redeat, & mortis debitum solvat. Sublevatus namque Helias ascensionem Dominicam designavit. Ille enim mortem distulit, non evasit. Redemptor autem noster quia non distulit, superavit, eamque resurgendo consumpsit, & resurrectionis sue gloria ascendendo declaravit. Notandum quoque quod Helias in currū legitur ascendisse, ut vide- licet aperte monstraretur, quia homo purus adjutorio egebat alieno. Per Angelos quippe illa facta & ostensa sunt adjumenta: quia nec in cœlum, quod est aëreum, per se ascendere poterat, quem natura sua infirmitas gravabat. Redemptor autem noster non currū, non Angelis sublevatus legitur: quia is, qui fecerat omnia, nimur super omnia sua virtute ferebatur. Illuc etenim revertebatur ubi erat, & inde redibat ubi remanebat. Quia cùm per humanitatem ascenderet in cœlum, per divinitatis suæ potentiam, & terram pariter continebat & cœlum. Si- gen. 5, 1  
cuit autem Joseph à fratribus venditus, venditionem nostrí Redemptoris figuravit: sic Enoch transflatus, atque ad cœlum aëreum Helias sublevatus, ascensionem Dominicam uterque designavit. Ascensionis ergo suæ Dominus prænuntios & testes habuit, unum autem legem, alium sub lege, ut quandoque veniret ipse, qui veraciter cœlos penetrare potuisset.

E Unde & ipse ordo in eorum quoque utrorumque sublevatione per quadam incrementa distinguitur. Nam Enoch transflatus, Helias verò ad cœlum sub- vinctus esse memoratur, ut veniret postmodum qui nec transflatus: nec subvictus, cœlum æthereum sua virtute penetraret, qui nobis in se creditibus quia carnis suæ quoque manditiam largiretur, & sub eo per incrementa temporum virtus castitatis excresceret, in ipsa quoque eorum translatione qui ascensionem Dominicam, ut videlicet famuli designaverunt, & in se ipso, qui ad cœlum ascendit, Dominus ostendit. Nam Enoch quidem uxorem & filios habuit: Helias verò neque uxorem, neque filios legitur habuisse. Pensate ergo quomodo per incrementa temporum creverit munditia sanctitatis, quod & per transflatos

translatos famulos, & per ascendentis Domini personam patenter ostenditur: translatus namque est Enoch & per coitum genitus, & per coitum generans. Raptus est Helias per coitum genitus, sed non jam per coitum generans. Assumptus vero est Dominus, neque per coitum genitus, neque per coitum generans.

## CAPUT II.

<sup>4. Reg. 4.</sup> De muliere, quae ne duos filios auferente creditore amitteret, Heliſai Prophetæ dictis obediuit, et ex eo quod parum olei habebat, per vasa vacua effudit, que cuncta post, usque ad summum repleta sunt, et ex eorum repletione mulier a creditoris sui debiti est soluta.

<sup>D</sup>e gentilis Iudeisque populi per Ecclesiam credulitas. <sup>Homil. 3. in Ezch. ali quanto post missum.</sup> Quid per hanc mulierem, nisi sancta Ecclesia designatur? Duorum populorum, id est Iudaici & gentilis, quasi duorum filiorum mater. Quae ex perverso opere per callidi spiritus persuasione, quasi quemdam peccati numinum a creditore accepterat, & duos, quos in fide genuit, amittere filios timebat. Sed Prophetæ verbis, id est scripture sacræ præceptis obediens, ex parvo quod habebat olei, vasa vacua infudit: quia dum ab unius ore Doctoris parvum quid de amore divinitatis multorum vacua mentes audiunt, exuberante gratia, unguento divini amoris usque ad summum replentur. Et jam nunc multorum corda, quæ prius fuerant vacua vacula, unguento spiritus plena sunt, quæ ex paucitate olei solūmodo infusa videbantur. Quod dum alii aque aliis datur, & ab auditoribus fides accipitur, si recepta mulier, videlicet sancta Ecclesia sub creditoris sui jam debito non tenetur.

## CAPUT III.

<sup>4. Reg. 4. c.</sup> De filio Sunamitis, quem puer ab Heliſeo missus cum baculo non resuscitat, per semetipsum vero Heliſeus veniens, sequè super mortuum sternens, atque ad ejus membra se colligens, huc & illuc deambulans, & in ore mortui septies aspirans, hunc ad reditivam lucem protinus per mystrium compunctionis animavit.

<sup>D</sup>e novi testamenti gratia per mediatorē exhibita. <sup>In expof. B. 1ob. 9. c. 22 paulo post missum. Hebr. 7. Philipp. 8.</sup> Auctor humani generis Deus quasi mortuum aculeo miseratus aspergit. Et quia per Moysen terrorem legis protulit, quasi per puerum virginem misit. Per legem quippe virginem Deus tenerat cum dicebat: Si quis hoc vel illa fecerit, morte moriatur. A peccati igitur morte timor nos suscitare non valuit, sed ad statum vitae aspiratam manuetudinis gratiam erexit. Sed puer cum baculo mortuum suscitare non valuit: quia Paulo attestante, nihil ad perfectum duxit lex. Ipse autem per semetipsum veniens, & super cadaver se humilians sternens, ad exequenda sibi mortui membras se colligit: quia cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalē Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servī accipiens, insemitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Huc illucque deambulat: quia & Judæam juxta, & longè positas gentes vocat. Super mortuum septies aspirat: quia per aperturam divini muneras gratia septiformis spiritum in peccati morte jacentibus aspirat. Moxque vivens erigitur: quia is, quem terroris virga suscitare non potuit, per amoris spiritum puer ad vitam rediit.

S. Greg. Tom. III.

## CAPUT IV.

Quod Prophatarum filij dum in Iordanie li- <sup>4. Reg. 6. a.</sup> gna cederent, uni eorum securis ex ma- nubrio in profundum lapsa disparuit. In quo jactato per Heliſeum manubrij ligno, ad eum ferrum rediit.

<sup>F</sup>errum in manubrio, est donum intellectus. in De servante corde. Ligna vero per hoc cadere, est pravæ agen- do intellectus increpare. Quod nonnumquam dum fluxè agi- tur, dum lapsus vanæ gloriae in accepta eadem scien- tia non vitatur, ferrum in aqua perditur, quando ex dissoluto opere intelligentia fatuatur. Quam pro- fecto intelligentiam ad hoc novimus dari, ut ante dantis oculos ex bona debeat actione restituvi. Vnde & recte is, qui ferrum amiserat clamabat: *Hen. hen. hen. Domine mi. & hoc ipsum mutuo accepeream.*

<sup>In expof. B. 1ob. 1. 22. c. 3 ante med.</sup> Habet enim hoc elecki proprium, ut si quando eis in sua scientia furtiva vanæ gloria culpa surrepit, ad cor velociter redeant, & quidquid in se ante districti judicis oculos damnabile inveniunt, lacrymis inse- quantur. Qui flentes, non solum caute inspicunt mala quæ commiserunt, sed ex accepto munere quæ reddere etiam bona debuerunt: qui nimis tantò se amplius peccatores sentiunt, quantò ex neglectis bonis, quæ agere poterant debitores tenentur. Recte ergo qui ferrum perdidit clamabat: *Hen. hen. hen. Domine mi. & hoc ipsum mutuo accepeream:* ac si dicat: Illud per dissolutionem negligentiae perdi, quod ut per bona opera redderem, ex gratia Conditoris accepi. Sed numquam Deus incitem defterit, quæ in peccatis se veraciter agnoscit. Vnde & mox Heliſeus veniens, lignum deorsum mittit, & fer- rum in superficiem: quia videlicet Redemptor no- ster piè nos respiciens cor peccatoris humiliat, & ei quam amiserat intelligentiam reformat. Lignum mergit, & ferrum relevat: quia cor affligit, & sci- entiam reparat. Unde bene alia translatio dicit, quod <sup>Transf. 70</sup> confrigit lignum atque jaſtavit, & sic ferrum susti- lit. Lignum namque confingere, est cor ab elatione conterere. Lignum ad ima jaſtare, est clatum cor in cognitione, ut diximus, propria infirmitatis hu- miliare. Atque illico ferrum ad superficiem reddit: quia ad usum exercitationis pristinæ intelligentia re- currit. Igitur quoniam donum intellectus, quod ac- cipitur, vix cum tot difficultatibus custoditur: cu- randum valde est, ne otio torpeat, curandum ne in exercitatione operis vitio elationis evanescat. San- cti namque viri minimè exultant, cùm cognoscunt rem faciant, sed cùm faciunt, quæ cognoverant: Et si intelligendo congaudent muneri largitoris, mo- rentes tamen considerant debitum operis, ut vide- licet aetione persolvant quod eis prærogatum est in cognitione. Scutus namque est debitor, qui ga- dens pecunias mutuas accipit, & tempus quo red- dere debet non attendit. Moderatur autem lætitia accipendi, quando solerti providentia etiam con- stitutum tempus reddendi cogitatur.

## CAPUT V.

Dies tribulationis, & increpationis, & blaſphemie dies iste. <sup>4. Reg. 19. c.</sup> Venerunt filij usque ad partum, & vires non habet pariens.

<sup>H</sup>æc juxta litteram peccatis facientibus videamus. De difficultate in ex- parantur, sed nullatenus preparata convalescant. habitione Scriptum namque est: Requiescat super eum spiritus concepi confiliū & fortitudinis. Quæ utraque sibi necessaria juncta sunt, quia neque virtus sine confilio

T

esse utilis valet, neque consilium sine virtute. Quid A  
igitur profunt qui per consilium præparantur, dum ad prælium per fortitudinem non procedunt? Affli-  
ctus ergo, atque turbatus Ezechias rex loquitur, di-  
cens: *Dies tribulationis & blasphemie dies iste.* Ve-  
nerunt filii usque ad partum, & vires non habet par-  
turiens. Filii quippe usque ad partum veniunt, quan-  
do apta consilia usque ad desiderium efficiendi ope-  
ris procedunt. Sed virtutem non habet parturiens,  
quia dum infirmus quisque consilia concipit, hæc  
ad utilitatem aliquam per partum operis non per-  
ducit.

## CAPUT VI.

*Quodcumque reliquum fuerit de domo Iuda,*  
*mittet radicem deorsum, et faciet fructum*  
*sursum.*

*In expo. B.* De manus- **Q** uod radix arbori, hoc cuique hominum co-  
gitatio sua est: quia in hoc quod exterius vide-  
tur, per illud tenetur, quod exterius non videtur.  
Unde & nunc dicitur: *Mittet radicem deorsum, &*  
*faciet fructum sursum.* Cùm enim cogitationem no-  
stram ad compatendum indigenti proximo tendi-  
mus, quasi radicem deorsum mittimus, ut retribu-  
*In expo. B.* *tob. 1.12.c.* *22. vers. fin.*

## CAPUT VII.

*Item unde supra.*

*In expo. B.* **Q** uid hoc loco radicum nomine, nisi latentes cogitationes accipimus, quæ in occulto pro-  
*tob. 1.8.c. 29* ceund, sed in ostensione operum per apertum sur-  
gunt? Radicem ergo deorsum mittere, est cogita-  
tionem bonam in abditi multiplicare. Fructum ve-  
tò sursum facere, est per efficaciam operis recta, quæ  
cogitavit, ostendere. *Mittet ergo radicem deorsum,*  
*ut faciat fructum sursum:* ac si aperte diceretur: In  
imis cogitatione nascitur, ut in summis retributio-  
reddatur.

## CAPUT VIII.

*Dispone domui tuae, quia morieris tu, et*  
*non vives.*

*In expo. B.* De ordine **N**ulla, quæ in hoc mundo hominibus sunt,  
divina scientia, & humana vice termino.  
*In expo. B.* **mundi prosperitas sequatur, vel quantum adversitas**  
*tob. 1.12.c. 1.* feriat, ne electos ejus aut immoderata prosperitas elevet, aut nimia adversitas gravet. Statutum quoque est quantum in ipsa vita mortali temporaliter vivat: nam & si annos quindecim Ezechia regi ad vitam addidit omnipotens Deus, cum eum mori permisit, tunc eum præscivit esse moritum. Quia in re-  
latione, quomodo ei per Prophetam dicatur: *Dis-  
pone domus tua, quia morieris tu, & non vives.* Cui  
cùm mortis sententia dicta est, protinus ad ejus la-  
crymas est vita addita. Sed per Prophetam Domi-  
nus dixit, quo tempore mori ipse merebatur, per lar-  
gitatem vero misericordie illo cum tempore ad mor-  
tem distulit, quod ante sæcula ipse præscivit. Nec  
Propheta igitur fallax, quia tempus mortis innocuit, quo vir ille mori merebatur: nec Dominica statuta convulsa sunt, quia ut ex largitate Dei anni vitæ cre-  
cerent, hoc quoque ante sæcula præfixum fuit, arque spatiū vitæ quod inopinatè foris est additum, sine augmento in præscientia fuit intus statutum.

## CAPUT IX.

*Obsecro, Domine, memento quomodo ambu-*  
*laverim coram te in veritate, et in corde*  
*perfecto.*

**P**lerumque justi aliquibus necessitatibus afflitti, Merita sua  
sua opera coguntur fateri. Sed cùm eorum dicta viri iusti  
injusti audiunt, hæc per elationem potius, quam per ne superbia  
veritatem existinant prolati; Ex suis enim cordibus interdum  
verba justorum pensant, & dici humiliter posse ver-  
ba bona non astimant. Sicut enim gravius culpa est  
fibi hoc hominem arrogare, quod non est, sic ple-  
*In expo. B.* rumque culpa nulla est, si humiliter bonum dicat,  
*tob. 1.12.c. 16* in iniuste,  
quod est. Unde sæpe contingit, ut justi, & injusti  
habeant verba similia, sed tamen cor longè semper  
dissimile: & ex quibus dictis Dominus ab injustis  
offenditur, in eisdem quoque à justis placatur. Nam  
Phariseus ingressus templum dicebat: *Iejunio bis in Luc. 11.*  
*sabbato: decimas do omnium, que possego. Sed ju-*  
stificatus magis Publicanus quam ille exiit. Ezechias  
quoque rex cum molestia corporis afflictus ad extre-  
mitatem pervenisset vitæ, in oratione compunctus  
dixit: *Obsecro, Domine, memento quomodo ambula-*  
*laverim coram te in veritate, & in corde perfecto.* Nec  
tamen Dominus hanc confessionem perfectionis  
ejus despexit aut renuit, quem mox in suis precibus  
exaudivit. Ecce Phariseus se justificavit in opere,  
Ezechias justum se assertuit etiam in cogitatione. At-  
que unde ille offendit, inde iste Dominum placavit.  
Cur itaque hoc, nisi quia omnipotens Deus singu-  
lorum verba à cogitationibus pensat, & in ejus auribus  
superba non sunt quæ humili corde proferuntur.

## CAPUT X.

*Ecce dies venient, et auferentur omnia, que*  
*in domo tua sunt, in Babylonem.*

**O**mnis hypocrita cogitationes suas in exquirendo hominum admiratione multiplicat. Per omne enim quod hypocritæ faciunt, quia occultis cogitationibus laudes hominum requirunt, quasi ra-  
dis. **D**ices scripsi in acervum petrarum mittunt. Operatu-  
ri quippe laudes suas cogitant, laudati autem has secum taciti in cogitationibus versant. Gaudent se *In expo. B.* *tob. 1.12.c. 10* *prim.*  
principios in humana estimatione claruisse. Cumque inflati favoribus apud semetiplos intumescunt, sæpe mirantur taciti etiam ipsi quod sunt. Videri quotidiæ semetiplos altiores cupiunt, ac miris intentionibus in opere excrescent: quia sicut virtus humilitatis omne vitium enervat, sic arrogantia ro-  
borat. Cogit namque mentem juvenescere, & contra vires valere: quia & quod negat vigor valetudinis, imperat amor laudis. Unde & factis suis, ut di-  
ximus, arbitros inquirunt. Si vero corum operi testes decesserint, narrant ipsi quæ gesserint. Cumque offerri favoribus cœperint, sæpe eisdem suis o-  
peribus, quæ peregrinæ se referunt, mentiendo ali-  
quid adjungunt. Cum vero & vera dicunt, hæc di-  
cendo aliena faciunt: quia quæstis remunerati fa-  
voribus, ab eorum intima retributione vacuantur.  
In eo enim quod bona sua patefacti ostendunt malignis spiritibus quasi insidiantibus hostibus quæ prædendentur. Quorū profectè vitam illa cunctis notissima Ezechia culpa figuravit, qui postquam una prece, & sub unius noctis spatio, centum octo-  
ginta quinque millia hostium Angelo feriente pro-  
stravit, postquam occasui proximum ad altiora ex-  
li spatio sole reduxit, postquam vitam propin-  
quantij iam termino coarctatam in tempora longiora protelavit: suscepit Babylonici regis nuncis, bona

omnia, que possidebat, ostendit. Sed Propheta voce protinus audivit: *Ecce dies venient, & auferent omnia, qua in domo tua sunt, in Babylonem: non relinqueretur quidquam*, dicit Dominus. Sic nimur hypocrita postquam magnis virtutibus exscent, quia cavere malignorum spirituum insidias negligunt, & celari in eisdem virtutibus nolunt, bona sua ostendendo, hostium faciunt, & prodentes subito amittunt, quidquid diutius studentes operantur. Hinc per Psalmistam dicitur: *Tradidit in captivitatem virtutes eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici.* Virtus quippe & pulchritudo arrogantium inimici manibus traditū: quia omne bonum, quod per concupiscentiam laudis ostenditur, occulti adversarii juri mancipatur. Hostes namque ad rapinam provocat, qui suas eorum notitia divitias denudat. Quousque enim ab æternæ patriæ securitate disjungimur, per latronum insidianum iter ambulamus. Qui ergo in itinere deprædari formidat, abscondat necesse est bona quæ portat. O miseri! qui affectantes laudes hominum in semetipsis dissipant fructus laborum, cumque se ostendere alienis oculis appetunt, dominant quod agunt. Quos nimur maligni spiritus cùm ad jaçtantiam provocant, eorum sicut diximus, opera captivantes denudant. Hinc est enim quod per Evangelium Veritas dicit: *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, neque eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Hinc quid de electorum Ecclesia per Psalmistam dicitur: *Omnis gloria ejus filia regum ab intus.* Hinc Paulus ait: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientia nostra.* Filia quippe regum Ecclesia, quæ in bono est opere spiritualium principium prædicatione generata, gloriam intus habet. quia hoc quod agit, in offensionis jaçtantia non habet. Gloriam suam Paulus testimonium conscientia memorat: quia favores oris alieni non appetens, vita suæ gaudia extra semetipsum ponere ignorat. Occultanda sunt ergo quæ agimus, ne hæc in hujus vita itinere incaute portantes, latrocinantium spirituum incursione perdamus.

## CAPUT XI.

*Occidit rex Babylonis filios Sedechia in Reblatha coram eo: oculos quoque Sedechia eruit.*

Quod malignus spiritus subductis prius bonus operibus, post intelligentia lumine hominem privet. In expos. B. 1ob. l. 7. c. 13 p. 13. *Cum scriptura sacra Sedechia captivitatem narrat, ordinem captivitatis internæ denunciat. Rex quippe Babylonis, est antiquus hostis possessor intimæ confusionis. Qui prius filios ante intentus oculos trucidat: quia sœpe sic bona opera interficit, ut hæc se amittere ipse qui captus est, dolens cernat. Nam bona gignit plerumque animus, & tamen carnis suæ delectationibus vicius, bona que genuit amans perdit; & que patitur dama considerat, nec tamen virtutis brachium contra regem Babylonis levat: Sed dumvidens nequit per perpetracione percutitur, ad hoc quandoque peccati usū producitur, ut ipso quoque rationis lumine privetur. Unde Babylonis rex extintus prius filii, Sedechia oculos eruit: quia malignus spiritus subductis prius bonus operibus, post & intelligentia lumen tollit. Quod recte Sedechia in Reblatha patitur: Reblatha quippe multa hæc interpretatur. Ei enim quandoque & lumen rationis clauditur, qui pravo usū ex iniquitatibus suis multitudine gravatur.*

*Finis Expositionis quarti Regum.*

S. Greg. Tom. III.

CAPITVL A LIBRI  
PSALMORUM.

- A
- 1 *E*t in cathedra pestilentiae non sedit.
  - 2 *E*t erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum.
  - 3 Item unde supra.
  - 4 *R*eges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.
  - 5 *S*ervite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.
  - B 6 *F*iliij hominum usquequo gravi corde?
  - 7 *I*rascimini & nolite peccare.
  - 8 *S*cufo bona voluntatis tua coronasti nos.
  - 9 *M*anè astabo tibi, & video.
  - 10 *D*omine ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me.
  - 11 *In* inferno autem quis confitebitur tibi?
  - 12 *T*urbatus est pro ira oculus meus.
  - 13 *I*n veteravi inter omnes inimicos meos.
  - 14 *D*eus iudex iustus, fortis & longanimes.
  - 15 *A*rcum suum tetendit & paravit, &c.
  - 16 *C*oncepit dolorem & peperit iniquitatem.
  - 17 *Vt* destruas inimicum, & defensorem.
  - 18 *Q*uoniam video calos tuos opera digitorum tuorum.
  - 19 *P*isces maris qui perambulant semitas maris.
  - 20 *Q*ui exaltas me de portis mortis, ut annunciem, &c.
  - 21 *N*on in finem oblitio erit pauperum, &c.
  - 22 *S*ub lingua ejus labor & dolor, sedet in insidiis, &c.
  - 23 *I*n sidiat in occulto sicut leo in cubili suo.
  - 24 *I*n Domino confido, quomodo dicitis anima mea: transmigra in montem sicut passer?
  - D 25 *P*araverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent, &c.
  - 26 *P*alpebra ejus interrogant filios hominum.
  - 27 Item unde supra.
  - 28 *P*luer super peccatores laqueos ignis, fulpue, & spiritus, &c.
  - 29 *E*loquia Domini, eloquia casta.
  - 30 *I*n circuitu impy ambulant.
  - 31 *D*ixit insipiens in corde suo, non est Deus.
  - 32 *I*lluc trepidaverunt timore, ubi non erat timor.
  - 33 *D*ixi Domino, Deus meus es tu.
  - 34 *F*unes ceciderunt mihi in præclaris, &c.
  - 35 *E*go clamavi quoniam exaudiisti me Deus.
  - 36 *S*ub umbra alarum tuarum protege me.
  - 37 *D*iligam te, Domine, virtus mea.
  - 38 *C*aligo sub pedibus ejus, & ascendit super Cherubim, &c.
  - 39 Item unde supra.
  - 40 *P*osuit tenebras latibulum suum.

T. ij